



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Sancti Martini Canonicensis & sanctæ Mariæ Electensis Abbatibus, & W.  
Decano in Confluenti, Narbonensis & Helensis diocesum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

excessus corrigere delinquentium. Inde est quod serenitatem tuam rogamus atque monemus quatinus pauperes catholicos & hospites eorundem in orthodoxa fide ac pia operatione manentes non permittas a quoquam temerè opprimi vel à justitiariis tuis iniuste gravari. Datum Laterani v. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno decimo quinto.

*NARBONENSI ARCHIEPISCOPO  
& Episcopo Vicensi apostolicae sedis  
Legatis.*

*Epist. 93.  
Super eodem.*

**C**Vm catholici pauperes Durandus de Osea, Durandus de Naiaco, Guillemus sancti Antonini, & socij sui reconciliati ecclesiasticae unitati, quasi nova planta sint benignè fovendi, per apostolica vobis scripta mandamus quatinus vos eis in fide catholica & pia operatione manentibus exhibeatis favorabiles & benignos, & non permittentes eosdem à quoquam indebitè molestari, in litteris testimonialibus & aliis adminiculis ipsos propter Deum misericorditer adjuvetis. Datum Laterani i v. kal. Iunij, pontificatus nostri anno decimo quinto.

*IANVENSI ARCHIEPISCOPO  
& suffraganeis ejus.*

*Epist. 94.  
Super eodem.*

**C**Vm talis esse debeat ars eorum quibus regendae animae committuntur ut non solum à dominico grege subductas sollicitudine pastoralis reducere, verum etiam reductas ad ipsum paterna in eo studeant mansuetudine confovere, procul dubio nobis & vobis est sollicitè providendum ut dilecti filij Durandus de Osea & Guillemus de sancto Antonino cum sociis suis reconciliatis ecclesiasticae unitati taliter foveantur in ipso quod cum ipsi se laetabuntur ibidem invenire favorem speratae dulcedinis, alij eorum inducantur exemplo errorem suae deserere cœcitatatis. Quapropter fraternitatem vestram monemus attentius & hortamur, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes quatinus ipsos procedentes secundum Deum caritative tractetis, nec permittatis eos aut illos qui suum ipsis intuitu caritatis impenderint beneficium in vestris diocesibus constitutos hujus occasionis prætextu à quoquam temerè molestari, contradictores censura ecclesiastica appellatione postposita compescendo. Quod si non omnes &c. singuli vestrum in diocesi sua ea nihilominus exequantur. Datum Laterani ii. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno decimo quinto.

*SANCTI MARTINI*

*\* Canonensis & sanctae Mariae Eleclensis  
Abbatibus, & W. Decano in Consuetu,  
Narbonensis & Helensis diocesum.*

**A**D nostram noveritis audientiam pervenisse quod B. Miles decimas quasdam, quas progenitores ac ipse hactenus ab Abbate sancti Genesij tenuerunt, hospitali quod ad sustentationem infirmorum pauperum aedificare proposuit desiderat assignare, si nostrae sedis beneplacito voluntatis. Quocirca discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatinus dictum Militem, ut decimas ipsas Ecclesiae illis ad quas noscuntur pertinere resignet, moneatis prudenter & efficaciter inducat, quod si ad id induci non poterit, & Abbatis praedicti & diocesani Episcopi super hoc assensum quiverit obtinere ut eas conferat hospitali praefato, auctoritate nostra concedatis eidem liberam facultatem. Quod si non omnes &c. duo vestrum ea &c. Datum Laterani i v. kalen. Iunij, pontificatus nostri anno decimo quinto.

*DURANDO DE OSEA,  
& Durando de Naiaco, Guillemo sancti  
Antonini, Io. Narbonensi, & B. Biterrensi,  
& aliis pauperibus catholicis.*

**C**Vm à nobis petitur &c. usque perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus &c. usque assensu, personas vestras & specialium amicorum vestrorum in fide catholica & pia operatione manentes ac res eorum sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. protectionis &c. usque incursum. Datum Laterani i v. kal. Iunij, pontificatus nostri anno decimo quinto.

*EPISCOPO ET CAPITULO  
Petragoricensi.*

**S**I circumspiciatis curaretis advertere quantum sit obedientiae bonum, quantumve ipsius contrarium detestandum, utpote idolatriae sceleri comparatum, mandatum nostrum forsitan citius studeretis effectui mancipare, ut exuto veteri homine, vos in illius transformaretis imaginem qui usque ad mortem factus est obediens Deo patri, nec vos excusaretis exceptionibus frivolis in ejusdem elusionem mandati. Sanè cum pro dilecto filio magistro I. de Veteri Morolio, qui diu cancellariae nostrae servitio laudabiliter insudavit, & labo-